







4  
114.1928 K 944

Q. D. B. V

AVSPICIO

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII

DOMINI  
FRIDERICI AVGVSTI  
CICERONEM  
MEDICVM

PRAESES

M. IO. SAMVEL BERGERVS

VITEMBERGENSIS SAXO

RESPONDENTE

BENIAM. GOTLIB. GARMANNO

MED. C

DISSERTATIONE VLTIMA

XIII. KAL. FEBRVAR. A. R. C. MDCCXII

TVETVR

VITEMBERGAE

LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINII

1772

7370



RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
DOMINI  
FRIDERICI AVGVSTI  
CICERONEM  
MEDICVM  
M. IO. SAMVEL BERGERVS  
BENIAM. GOLDB. GARMANNVS  
DIPLOMA







## CICERO MEDICVS

### I



Vi in praemissis dissertationibus Ciceronis scientiam medicam cum ὑγιεινῆς, tum θεραπευτικῆς, tum uero etiam φυσιολογίας, multis, iisdemque luculentis, monumentis demonstratam dedimus, facile in hac opera acquiescere poteramus, propterea, quod partes illae principem locum in artis salutaris circulo obtinere uidentur. Verum cum nec ceterae partes contemnendae fiat, neque id solum agatur a nobis, ut Ciceronem medicum amplius comprobemus, ad quod quidem negotium minorem etiam operam suffecisse, fate-mur, sed etiam, ut eius uerba ad artem nostram quae pertinent, adductis ueterum sententiis collustremus: nihil in-grati speramus melioribus rerum medicarum, atque huma-nioris scientiae, existimatoribus nos praestituros esse, si qui-dem in negotio, ad quod aggressi sumus, omnianimi corpo-risque uirium contentione pergamus

A 2 II. Et



## II

Et Physiologiam quidem, de qua ultima dissertatio-  
ne egimus, excipit illa medicae scientiae pars, quae mor-  
bos describit, quibus humanum corpus laborare solet, at-  
que ea de causa Pathologia appellatur. Neque huius sci-  
entiae imperitum fuisse Ciceronem, illa iam tum testari  
possunt, quae de Dysenteria, Diarrhoea et Dysuria, Pa-  
ragraph. IX. et X. prioris hoc de argumento dissertationis  
dicta sunt, ubi eadem opera ex ueterum medicorum sen-  
tentia his de morbis differuisse Arpinatem, ni fallimur,  
demonstratum est. Quamobrem missa hac parte ad eam,  
quae cum hac maximam affinitatem habet, et quae pro-  
pterea, quod ex signis de morborum conditione et euen-  
tis iudicare docet, Semiotica appellatur, conuertamur

## III

Nihil uero hanc in rem dici potest conuenientius,  
quam si ostendamus, Ciceronem signum pathognomoni-  
cum februm, de quo et nostra aetate eruditissimi medico-  
rum inter se dissentiant, probe cognitum habuisse. Nemp-  
pe in eorum uersatur sententia, qui, pulsus, praeter naturam  
frequentiorem, semper indicare febrim, arbitrantur. Ita  
enim in Libro de fato uerba facit: *Si cui uenae sic mouentur,  
is habet febrim.* Loquitur de uenis, quo nomine ueteres, at-  
que in primis Hippocrates, quem Cicero hic sequi uidetur,  
non speciatim tantum ita dictas uenas, sed arterias quoque  
indicabant. Cuius rei auctorem profiteor Galenum, qui,



## CICERO MEDICVS

ὑπομήματ. β. εἰς τὸ κατ' ἰητρείου Hippocratis Tom. V. p. 686.  
 Φλέβας, inquit, ἀπερότων ἡμῶν κατὰ τὸ παλαιὸν εἶδε, ἐμόνον ταύ-  
 τας τὰς νῦν ὀνομαζομένας, ἀλλὰ καὶ τὰς ἀετηρίας. Quæ quidem  
 notio locum hic habere, ea, quæ contextum sequuntur,  
 docent. Enimvero pergit Arpinas noster: *Cui uenae sic  
 mouentur*, quo uerbo notat pulsus, qui in uenis nullus est.  
 Nec uero de pulsus quodam communi et naturali ipsi ser-  
 mo est, cum ἐμφατικῶς addita sit particula *Sic*, et quid mo-  
 tus tam extra ordinem ortus, in recessu habeat, simul ex-  
 ponatur: *Cui uenae sic mouentur, is habet febrim*. Sci-  
 licet febris naturā in uelociori sanguinis circuitu consistit,  
 qui frequentiore arteriarum pulsus se manifesto prodit, ex  
 quo, cum soli febrim, omni et semper competat, febrim la-  
 borare corpus, certè cognoscitur. Id quod de calore, quem  
 cum ueteribus quibusdam nonnulli hodieque signum pa-  
 thognomicum febrim constituunt, propterea, quod non  
 semper nec in omnibus febrim obseruatur, generatim af-  
 firmari nequit. Ceterum tantum abest, ut ex ueteribus  
 Cicero id solum asseuerauerit, ut potius quosdam ex iis,  
 nec nullius auctoritatis uiros, pro eius propugnantes sen-  
 tentia, inueniamus. Dignus est, qui laudibus hoc quoque  
 loco efferatur, Galenus, qui in hanc rem diligentius inqui-  
 siuit. Is tamen post multas et luculentas hac de re dispu-  
 tationes pulcherrime concludit: τὰ τοιαῦτα σημεῖα συσδιη τῆς  
 ἀετηρίας ἀψευδέστατά ἐστι, καὶ χρηστὰ ἰατρικῶν ἀντὶ μάλα, κατὰ τὰς  
 ἀσθενείας ἐναργῶς φανεῖται. ἐγὼ γὰρ ἐν ὅπῃ πολλὰν πολλὰκις, ὅν ἐδε-  
 πάποτε ἀποδοῦν ἡψάμην τῶν σφυγμῶν, εἶδ' ὑγιανόντων, ἔτε νοσούν-  
 των, τὰ τοιαῦτα σημεῖα πιστεύσας, ἡμαρτον ἐδέετοτε. πρὶ περὶ νόσους  
 σφυγμῶν λογ. γ Part. III. Op. p. 145. Neque ipsum se op-  
 pugnat, cum in VI. Hippocratis ἐπιδημιῶν ὑπομήματ. α. P.



CICERO MEDICVS

V. Op. p. 453. ἢ ᾗ inquit, εἰ τῆ τῶν ἀρτηρίων κινήσει, ἢ τῶν πυρε-  
τῶν ἐστὶ ἐστία. τῆτο γὰρ ὅπως ἡμάρτηται τοῖς πρὸ τὸν Ἐρασίστρατόν τε  
καὶ Κρῦτιππον, ἤδη μιμνήσκεις. Nemo enim non uidet, ser-  
monem esse hic, non de signo pathognomonico, sed de fe-  
brium essentia ipsamet, quam nec Cicero, nec ipse Gale-  
nus, in pulsu arteriarum constituerunt

IV.

Non dicam in praesenti de eo, quod Arpinas noster  
in Oratione pro Cluentio p. 371. *subitam mortem non firmam  
satis ueneni suspicionem esse*, defendat, cum facile illud a quo-  
uis intelligatur. Illud uero, quod sequitur in illo loco,  
paulo maiorem spirat eruditionem medicam, quo *mortem  
Oppianici a casu ex equo deriuat, ac simul indicat, ex eo casu  
hominem, infirma ualitudine praeditum, in febrem incidisse, pau-  
cisque diebus esse mortuum*. Recte hic coniungit Cicero la-  
teris offensionem cum feбри, quae, teste Celso nostro, ad do-  
lorem lateris plerumque accedit, sicut idem quoque lateris  
dolorem uel ex frigore, uel ex ictu, uel ex nimio cursu, uel ex  
morbo, deducit, atque id omne Cap. IX. Lib. IV. pag. 221.  
quo simul patet, erudite Arpinatem coniecisse, lateris do-  
lorem ex casu et infirma Oppianici ualitudine esse ortum.  
Acceptum uero haec refert Cicero cum Celso ipsimet Coo  
nostro, qui Sect. V. Op. Lib. III. de morbis, p. 52. febrim  
refert inter ea, quae lateralem dolorem comitentur :  
*μεταπίπτει δὲ τὰδε ἐκ πλευρίτιδος εἰς καύσον* Sect. V. Op. p. 4. et  
iterum *ὅταν πλευρίτις λάβῃ, τὰδε πάσχει, ὀδύνη τὴν πλευρῆν, πυ-  
ρετός καὶ Φρίκη ἴσχει*. Neque ab opinione Coi discedit Ga-  
lenus



CICERO MEDICVS

lenus, cuius uerba elegantia non possum, quin legenda in  
 lucem ponam: αἱ χεῖρὶ τὸν ὑπερβολικότεν τὰς πλευρὰς ὑμένα, καὶ  
 τὰς τέτταρ' συναχθεῖς μῦς, φλεγμοναί νόσον ἐργάζονται, τὴν καλεμέ-  
 νην πλευρίτιν, ἣτις ἀχώριστα μὲν ἔχει συμπτώματα, πνεύτον δὲ ζὺν αἰθῆ-  
 ρων πεπονθότων τόπων. βιβλ. ε' Part. III. Op. p. 300

V

In partibus Medicinae ministris, quae notitiam reme-  
 diorum suppeditant, ad sanitatem conseruandam recupe-  
 randamque necessariorum, primum locum occupat Chi-  
 rurgia. Neque huius profusus expers deprehenditur Ci-  
 cero. Equidem non dicam de eo, quod generatim mone-  
 at, *in corpore, si quid eiusmodi sit, quod reliquo corpori noceat, u-  
 uendum secandumque esse*, Orat. Philipp. VIII. pag. 607.  
 quippe quod leue admodum, ac tralatitium est. Magis  
 placet excitare locum, quo remedia salutaria uulnerum ita  
 a nostro describuntur, ut dolore excitato sint cogno-  
 scenda. Ita enim habet Ep. VIII. ad Brutum p. 962. *Nul-  
 ta remedia, quae uulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem,  
 quam quae sunt salutaria.* Intelligendum hoc est de uulne-  
 ribus in primis ueteribus, ubi sensus doloris propter car-  
 nem emortuam euauit, ac erodentibus uehementius opus  
 est remediis. Hic signum omnino futurae sanitatis cui-  
 dens est, adhibito remedio, percipere dolorem, propterea,  
 quod eo ipso constat, uim suam non solum exerere me-  
 dicamentum, sed etiam mali uim sustinere pariter, ac su-  
 perare. Celsus itaque hanc in rem differit: *Quodcumque  
 ulcus sensu caret, uel non naturaliter sentit, id impurum, atque  
 adeo purgandum est*, Lib. V. p. 316. 317. Idem de curatione  
 Erysiipelatum: *Si nigrities adest, inquit, quae neque dum ser-*  
 pit,



CICERO MEDICVS

pit, imponenda sunt, quae carnem exedant, repurgatumque ulcus sic ut cetera nutriendum est. Si magis putre est, iamque procedit ac serpit, opus est uehementius erudentibus Lib. V. p. 321. Huc quoque reuocandum est, quod de uaricibus, Caio Mario lectis, commemorat noster, Tusculan. Quaest. Lib. II. Op. p. 1070., de quibus, quando secandae, quando adu-  
rendae sint, legatur Cellus Lib. VII. cap. 31. p. 526. seqq. Sectionem ipsam uide a Galeno descriptam Part. IV. εἰς αἰσῶν p. 389

VI

Progredimur ad Pharmaciam, qua medicamento-  
rum naturam et praeparationem docemur. Atque hic quidem lepidum est illud admodum, quo Cicero de opti-  
mo ueneni uehiculo argute disserit, in Orat. pro Cluentio pag. 371. Jam uero illud quam non probabile, quam in-  
usitatum, iudices, quam nouum in pane datum uenenum? Faciliusne potuit, quam in poculo? latius potuit, abditum ali-  
qua in parte panis, quam si in totum colliquefactum in portio-  
ne esset? celerius potuit comestum, quam epotum in uenas, atque in omnes partes corporis permanere? facilius fallere in pane, si esset animaduersum, quam in poculo, cum ita confusum esset, ut secerni nullo modo posset. Num quis existimaret, quemquam Medicorum uehiculorum medicamentorum Cicerone peritio-  
rem extitisse? Sed posset hoc fortasse leuius uideri. Quamobrem conuertamur ad alia, atque librum de Diuinatione inspiciamus. Ibi fere *συνελευ* quan-  
dam rei Botanicae pandit. Mirari licet, quae sint animadu-  
uersa a Medicis herbarum genera, quae radicum ad morsus bestia-  
rum, ad oculorum morbos, ad uulnera. quorum uim, atque na-  
turam



## CICERO MEDICVS

*turam ratio nunquam explicauit, utilitate & ars est, & inuen-  
tor probatus.* Non hic solum indicat, diuersas esse her-  
barum radicumque uires, aliasque ad morsus bestia-  
rum, alias ad oculorum morbos, alias ad uulnera sa-  
nanda salutare esse, sed praeterea prudenter aequae, ac  
solide, monet, neminem naturam earum, atque operan-  
di uim, unquam rationis suae acumine satis explicare  
potuisse, sed experientia, ac periculo interdum facto,  
utilitatem cum omnium rerum, tum medicarum, si-  
gillatimque remediorum, apparuisse. Dixi solidum  
prudensque hoc eius esse iudicium, atque id omni-  
no uerissimum esse, existimo. Cum enim explicatio-  
nes istae omnes sententiis Physicorum Medicorumque  
praeiudicatis nitantur, quae incertae ubiuis, ac utiis  
suis laborantes, deprehenduntur, Medicum, in opera-  
tione artis suae occupatum, non tam decet ad illas,  
tam lubricas nonnunquam, nonnunquam implicatis-  
simas. opiniones respicere, quam accurate cogi-  
tare, quid in singulis morbis, eorundemque differen-  
tiis, attulerit utilitatem. Id quod ex ueteribus Hippo-  
crates in primis fecit, ac discipuli eiusdem religiose  
obseruarunt, qui quidem non omnem de natura et o-  
perandi ratione medicamentorum disquisitionem ne-  
glexerunt, in ipsa tamen aegrorum curatione, misis  
ueluti tantisper illis, ad usum maxime medicamento-  
rum, experientia confirmatum, respexerunt. Quam  
sententiam nuper nos docuit Magnif. Patruus, in Dis-  
sertatione eruditissima, qua Chinchinam ab iniquis iu-  
diciis uindicauit, ubi simplicem hunc ueterum me-  
dendi modum nobis luculentissimis rationibus, atque  
exemplis, comprobauit. Siquis uero documentum

B

sin-  
gu-



## CICERO MEDICVS

singulare Ciceronis peritiae, in materia medica comparatae, desideret, illum remittimus ad locum, in dissertatione hoc de argumento prima, paragrapho X. excitatum, ubi, betam maluanque aluum mouere, ostendit. In qua sententia non Galenum tantum, quem ibi excitauimus, auctorem habet, sed consentit quoque Celsus, qui Lib. II. cap. 29. utramque in medicamentis ponit, quae aluum ciere animaduertuntur.

## VII.

Restat etiam, ut discipiamus, quid Cicero in ultima artis salutaris parte praestiterit, quam Diaeteticam appellamus, quaeque corpus, morbo laborans, commodi uictus ratione iuuat. Tria uero hic occurrunt, quae Arpinatis doctrinam commendant. De uini enim usu Lib. III. de Nat. Deorum p. 146. ita differit: *Vinum aegrotis, quia prodest raro, nocet saepissime, melius est non adhibere omnino, quam spe dubiae salutis in aperta perniciem incurrere.* Vinorum magna est omnino diuersitas, cum ratione habita naturae, tum etiam operationum, quas produnt. De utraque differentia agit erudite Cous noster Sect. IV. Lib. 2. de uictus ratione p. 26. quem Galenus sequitur, ut uidere licet ex collectionibus medicinalibus Oribasii, ad Julianum Imperatorem scriptis, quorum fragmentum in Libris, Galeno ascriptis, Op. lat. p. 76. reperimus. Quod aliquando profit aegrotis uinum, docet nos exemplum eiusdem Hippocratis, qui, teste Galeno, non solum in diariis



diariis febribus, sed etiam in acutis uinum dare iussit  
 P. II. Op. Lib. 7. *θεραπευτικῆς μεθόδου* p. 122. Nocet ue-  
 ro saepissime uinum, propterea, quod rarissime bonum  
 haberi potest, contra uero uinum paucorum annorum, uel  
*austerum, uel pingue, infirmis nunquam dandum est*, teste  
 Celso, Lib. II. cap. 18. p. 106. Tutius igitur consilium  
 elegit Noster, ac praestare arbitratur, temperare sibi  
 prorsus a uino, quam in periculum praefens ad lucere  
 uitam. Alterum, quod locum hunc meretur, est illud,  
 ubi, negligentia Laelii mortem alicuius Phrygis subsecu-  
 tam esse, asseuerat, propterea, quod *hominum, qui arbo-  
 rem fici nunquam uidisset, fiscinam ficorum obiecerit*. in Orat.  
 pro L. Flacco p. 427. Quod ut uere dictum esse, com-  
 probemus, audiamus, quid Couis noster de ficis existimet.

Σύκα καὶ σαφίδες, αἰτ. καυσώδεια διαχωρητικά δέ. σύκον χλωρὸν  
 ὑγραίνει, καὶ διαχωρεῖ καὶ θερμαίνει. ὑγραίνει μὲν, ὅτι ἔγχυλόν  
 ἐστὶ θερμαίνει δὲ ἀπὸ τὸν ὄπον. διαχωρεῖ δὲ ἀπὸ τὸ γλυκὺ τῆ  
 ὀπῆ. πρῶτα τῶν σύκων κάρσια, ὅτι εἰσὶν ὀπωδέσσια. βέλτιστα  
 δὲ τὰ ὑσῆα. τὰ ξηρὰ σύκα καυσώδεια, διαχωρητικά δέ. Lib. II.  
 de uictus ratione Sect. IV. pag. 28. Maiori ad no-  
 strum institutum perspicuitate loquitur Galenus, qui  
 nullus dubitat asseuerare, ficos siquis largius esitauerit,  
 non parum corpus offendere. Et primo quidem ge-  
 neratim de succi earum prauitate conqueritur: ὁ μὲν  
 κοινόν, ἢ μόνον ὀπάρσις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὠρεοῖσις ὀνομαζομένοις  
 καρπῶσις, ἔχει καὶ τὰ σύκα, Φυγῆν ἢ δυνηθέντα τὴν κακοχυ-  
 μίαν ἐδ' αὐτά. Deinde postquam uirtutes earum enar-  
 rauerat, pergīt, τὸ πέπερον ἀκριβῶς σύκον ἐγγύς τῆ μηδό-  
 λως βλάπτει ἢ παραπλήσιον, ἢ δὴ ταῖς ἰχάσιω, πολλά μὲν  
 ἐχθρασις τὰ χρήσιμα, μοχθηρὸν δ' ἐστὶ τοῖς πλεονάζουσιν ἐν αὐ-



CICERO MEDICVS

τοῖς ἐπὶ πᾶσι δάμα γενῶσι, κρησὼν, ἔθην ἀνοταῖς καὶ τὸ τῶν φθει-  
 γῶν πλεῖστον ἔπειμα. Et tamen concludit: ὅσοι μετὰ τῶν  
 νῶς τῶν παχυννῶτων ἐδεσμάτων ἐδίδοι τὰ σῆμα, καὶ τὰς ἰχθῆδας,  
 ἔσμικεν βλάπτουσαι. περὶ τροφῶν δυνάμεις ΠΙΘ. a Part. IV.  
 Op. p. 321. 322. compara Galeni Op. Lat. T. Spur. p.  
 84. Credibile igitur est, Phrygem, de quo hic loqui-  
 tur Cicero, ficos, aut nimis multas, aut immaturas,  
 aut cum aliis durioribus cibus deuorasse, unde fieri po-  
 tuerit, ut diem obierit supremum. Primum fscina fi-  
 corum, cuius meminit Cicero, alterum utilitas, ex mor-  
 te huius ad Laelium redundans, ultimum denique no-  
 men comprobare uidetur, quo Phrygem hunc compellat  
 Noster, ac, edacem hospitem Laelium amisisse, io-  
 catur. Tandem ad hanc Medicinae partem pertine-  
 re uidetur, quod Cicero ad Tyronem scribit: *ἴσους δαν-  
 dum tibi non fuit, cum κακοσμάχῳ ἔσσης.* Lib. XVI. 2. p.  
 4. ad Amic. p. 707. Nihil profecto poterat illis, qui  
 artis expertes sunt, dici minus conuenienter, propterea,  
 quod uulgo stomacho laboranti utilius nihil, nihil mole-  
 stum minus iure existimatur. At enim interiorem  
 medicae scientiae peritiam hoc ipso comprobauit, atque  
 a uulgi opinionibus abiit, et dignissimam sua persona  
 sententiam pronunciauit. Etenim non de quouis κα-  
 κοσμαχίας genere hic agit Cicero, sed de isto in primis  
 frequentissimo et pessimo, ut Celsus uocat, uitio, quod  
 remissionem ventriculi appellant, quoque, ut idem  
 habet, nulla re magis aut afficitur uentriculus, aut cor-  
 pus afficit. Hoc enim cum laborat uitio, cibi non tenax  
 est, definitque ali corpus, ac tabe sic consumi-  
 tur. Hic igitur merito uitanda sunt calida, quae magis



## CICERO MEDICVS

gis languere uentriculum efficiunt, nec usurpanda alia liquida, quam quae stimulum addunt uentriculo, atque ad conficiendos cibos inuitant. Secus uero quae habent, et augeat languorem, nec nutriunt firmantque corpus. Quorum in numerum recte retulit Cicero ius, in primis illud, quod nimis est tenue ac liquidum, nec alios cibos comprehendit. Quare factum est, ut Medici dissuaderent in hoc morbo carnes quoque molliores, quod Celsus in aliis nihil facere ueretur, qui *aves, uenationes ac pisces dari prohibet, nisi generis durioris, atque ab eiusmodi stomacho, si nihil aliud concoquere possit, bubulam tamen concoqui, testatur. Assumendos igitur censet cibos frigidos, qui potius difficulter coquantur, quam facile nitentur* Lib. IV. cap. 8. p. 219.

## VIII

Quae quidem, ni fallimur, docent abunde, Ciceronem in arte salutari, omnibusque illius partibus non mediocriter uersatum fuisse, adeo, ut recte, sicuti in ceteris, ita etiam artis huius ratione habita, a Symmacho apud Macrobius, *conuitiis impenetrabilis* nominetur Lib. I. Saturnal. cap. 24. p. 159. Oratorem, post hominum memoriam maximum, cunctis quoque, ad artem suam necessariis, subsidiis ornamentisque munitum esse decebat. Atque omnium rerum peritia illi opus est, qui ad dicendum de omnibus rebus, promptus paratusque esse debet. Artem igitur salutarem a rerum cognoscendarum circulo non excludendam esse, Ciceronis nostri exemplo comprobauimus. **Vtrum aliam utilitatem haec leuis**



opera nostra afferat, solliciti admodum non fuissimus, qui in priuatam utilitatem, atque exercitationem, eam potissimum suscepimus, nisi quidam fuerit, qui ea de re cogitandi occasionem suppeditasset. Ita enim de illa scribit: doch ich glaube, es wird wenig Nutzen bringen, wenn wir gleich aus Cicerone einen Medicum machten. Es wäre denn, daß man mit ihm eine Comædie spielen wolte, welche ebemahls die Römer bey der An. 1659. entstandenen Pest mit den längst verstorbenen, und in der Stadt Epidaurus begrabenen Griechischen Medico Aesculapio, auf Ehrenreden des Oraculi vorgenommen. Vt quivis intelligat, quid sibi Aristarchus noster ultimis his uerbis uelit, docemus, historiam legi apud Sextum Aurelium Victorem, de Viris Illustribus p. m. 470. atque eius uerba ita habere: Romani ob pestilentiam, responso monente, ad Aesculapium Epidaurum arcessendum decem legatos, principe Q. Ogulnio, miserunt. Qui cum eo uenissent, et simulacrum ingens mirarentur, anguis e sedibus suis elapsus, uenerabilis, non horribilis, per mediam urbem cum admiratione omnium ad nauem Romanorum perrexit, et se in Ogulnii tabernaculo conspirauit. Legati Deum uehentes, Antium profecti sunt, ubi per mollitiem maris anguis proximam Aesculapii fanum petiit, et post paucos dies ad nauem rediit, et cum aduerso Tiberi subueheretur, in proximam insulam desiliuit, ubi templum ei constitutum, et pestilentia miracelerit atque sedata est. Nos quid tandem haec acumina in recessu habeant, uideamus. Primum existimat parum utilitatis allaturum esse negotium, et si etiam Ciceronem Medicum fuisse demonstrerur. ὡς δὲ καὶ Φαλλῶν κῆρ ἰγὴν Φαλλῶν ἐκ ἰγῆς. Nunquid enim in literis omnia ad euidentem utilitatem referenda sunt? Num Aristarchus non legit Macrobius, qui Virgilium Pontificem, augurum.



## CICERO MEDICVS

gurem, Astrologum, Philosophum, Oratorem, atque Antiquarium fecit Lib. I. Saturn. p. 160. 161. Et si ipse iudiciis suis de aliorum operis nihil, praeter quam lucrandum panem, quaerit, num alios ex suo ingenio iudicare decet? Qua uero ratione fieri possit, ut opera haec omni prorsus emolumento careat, non uidemus. Docet sane eos, qui ad dicendi artes aspirant, ne illotis, quod dicitur, manibus, ad eas accedant, sed exemplo Ciceronis, animum rerum optimarum cognitione imbuendum prius curent. Imo si non ex titulo tantum iudicium informasset Aristarchus, sed ipsam dissertationem inspexisset, facile fuisset deprehensusur loca Ciceronis, ad rem medicam spectantia, explicata diligenter, et ueterum Medicorum sententis collustrata. Quod sane illis prodesse potest, qui Ciceronem recte intelligere cupiunt, nec tamen in arte salutari sunt uersati. Ex quibus constat, quam indigne ac misere officio suo defunctus sit Aristarchus, quamque aegre fiat literis, siquidem eiusmodi homines, nec diligentia, nec iudicandi dexteritate, satis instructi, arbitrium statuendique facultatem temere sumant. Quibus cum respublica literaria hac tempestate nostra obruatur fere, qua stupidissimi quique, modo risum excitare ineptum didicerint, eiusmodi iudiciis suis a se, typographis ac bibliopolis famem depellunt, excitandi tandem sunt principes ac statores eius, ut sua auctoritate vulgi eruditorum oculos aperiant, atque ab hac turpitudine literarum rempublicam purgent. Ceterum, cum et Aesculapii et Comodiae meminerit Aristarchus, non possum, quin commendem eidem eam, quam Alexander quidam cum Aesculapio egisse, apud Lucianum Tom. I. Op. Orat. dramatica



## CICERO MEDICVS

matica, *Pseudodictis* inscripta, legitur, cuius personam an non in Fama sua, quam eruditam dicit, agat Aristarchus, ipsimet inquirendum relinquimus, petimusque praeterea, ut caueat postea, ne cui Infamiam Famae Eruditae, exemplo Scioppii, conscribendi occasionem temere subministret

## COROLLARIA

### I

**C**orruptione ciborum eorundem solutionem in uentriculo inuari, cum Pliftonico statumus

### II

**M**odum operandi remediorum in corpus nostrum particularum figura et motu dimetiri, obscurum æque, ac minus necessarium, arbitramur

### III

**A**ccurata itusreditusque sanguinis in orbem cognitio Medico in curatione morborum magis prodest, quam omnium tricarum naturalium, et Mechanices scientia

### IV

**G**enerationis negotium per partium futuri foetus ex genitura uiri in ouulum femineum ingressum fieri, magis probabile est, quam ouulum rudimenta foetus continere

## F I N I S



ULB Halle

3

005 121 825



Wilb. Polger  
Bauhinienstr.  
Halle a. S., Nr. 111/112/113. 8

1018







4

RECTORI  
SERE

FRIDE  
CIO  
ME

M. IO.

BENIAM

XI

Inches  
Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

B.I.G.

SSIMI

VSTI

EM

VM

GERVS

KO

MANNO

MA

DCC XII

EINII

36 7/1

7370

